

Syntomomelus rossicus, gen. et sp. nov. (Hymenoptera,
Braconidae).

Auctore

Nikita Kokujew (Jaroslaw).

Syntomomelus, gen. nov.

Braconidarum.

Capitis forma, oris antennarumque structura et in alis nervorum directio ut in gen. *Coeloides* W es m. Thorax etiam ut in gen. *Coeloides*, sed fossulâ antescutellari crenulatâ. Abdomen elongatum, longitudinem capitis thoracisque unitorum adaequans, sessile, in dimidio basali fortiter sculpturatum, deinde laeve, lateribus usque ad medium segmenti 3ⁱ submarginatis, deinde apicem versus subtus inflexis; suturâ 2^a profundâ, crenulatâ; segmento 2^o 3^o haud breviore. Terebra longe exserta. Hypopygium longum, apice acuminatum. Pedes ut in gen. *Coeloides* sat robusti, tibiis posticis extrinsecus subcanaliculatis, calcaribus posticis brevibus, aequalibus.

Genus ad divisionem *Braconidae Cyclostomae* W es m., in subfamiliam *Braconinae* F örster referendum. Differt a g. *Coeloides* praeter habitum abdominis dimidio basali fortiter et confertim sculpturato,

suturâ 2^a profundâ et crenulatâ; a ceteris generibus ad subfam. *Braconinac* pertinentibus discrepat flagelli articulis 1^o 2-oque brevibus, ut in gen. *Coeloides* W e s m. constructis.

Syntomomelus rossicus, sp. n.

Niger, nitidus, sat longe albo-pubescent, orbitis posterioribus angustis, puncto parvo genarum prope oculos, clypeo, mandibulis, apicibus exceptis, palpisque rufis, his interdum fuscis. Vertice pone oculos haud angustato, fere impunctato; genis latis longitudinaliter impressis atque huc distinctius tenuiterque punctulatis; facie convexâ, tenuiter punctulatâ, utrinque ante antennas tuberculo instructâ; clypeo a facie lineâ arcuatâ parum distinctâ, utrinque puncto impresso praeditâ, discreto, basi mediâ granulo instructo; ocellis parvis, fere contiguis, ab oculis remotis, lineâ impressâ circumflexis; antennis corpore nonnihil brevioribus, setiformibus, circiter 50-articulatis, nigris vel flagelli basi apiceque rufescensibus; articulis flagelli: 1^o transverso et 2^o quadrato quam anellus haud longioribus, articulo 3^o 2^o parum, sed distincte longiore. Thorace elongato, majore ex parte laevi nitidissimoque; prothorace sulco profundo transverso diviso; mesonoto distincte trilobo, fossulâ antescutellari tenuiter crenulatâ; mesopleuris solum supra coxas intermedias (huc impressas) tenuiter punctulatis; scutello parce punctato; metanoto longitudinaliter rugoso, latera versus punctulato, basi utrinque fere laevi; spiraculis parvis rotundis; metapleuris a metanoto lineâ profundâ impressâ discretis, confertim punctatis. Alis angustis, abdomine longioribus, inaequabiliter leviterque fumosis, abscissâ 3^a radii longâ et rectâ, stigmate nervisque fuscis, tegulis rufis vel fusco-notatis. Abdomine nigro vel segmentis 2^o 3-oque partim rufescensibus; segm. 1^o apice quam basi duplo latiore, latitudine apicali vix vel haud longiore, basi impresso, toto fortiter longitudinaliter, partim fere costiformiter rugoso, rugis punctis magnis, profundis intermixtis; parte mediâ utrinque sulco profundo et carinâ terminatâ, medio subcarinatâ, partibus lateralibus transversim rugosis; segm. 2^o planiusculo, apice quam basi sesqui latiore, latitudine apicali haud longiore, ut segm. 1^{um} sculpturato, basi mediâ tantum laeviore, nonnihil impresso, carinâ longitudinali ad medium extensâ instructo et praeterea utrinque, sed a lateribus remote, carinulâ parum distinctâ fossulâque confusâ praedito;

segm. 3^o transverso, quam 2^{um} distinete breviore, ultra medium ut segmenta antecedentia sculpturato, medio subcarinato, apice et segmentis reliquis laevibus nitidissimisque; suturā 2^a medio valde inflexâ; terebrâ longitudinem thoracis abdominisque unitorum circiter aequante; hypopygio ultra anum haud producto, testaceo, apice nigro, acuminato. Pedibus albo-pubescentibus, rufis, articulo ultimo tarsorum nigro; metatarso pastico articulis 2^o—4^o simul sumptis aequilongo, articulo 5^o 3^o aequali; unguiculis haud longis, pulvillo distincto.

Long. corp. 8—10 mm., long. terebrae 6—9 mm.

♂ ignotus.

Hab.: *Rossia media*: distr. Dankow prov. Rjazaniensis: ad villam Gremjatshka (A. Semenow! 13. VI. et 1. VII. 1890.—2 ♀. Coll. mea).
